

EPISTULA LEONINA

CCLV

HEBDOMADALE
 PERIODICUM LATINĒ SCRIPTUM,
 QUOD ĒDITUR
 E DOMO EDITORIĀ INTERRETIALI
 CUI NOMEN EST
 LEO LATINUS



<http://www.leolatinus.de/>

N.B.! EPISTULAS LEONINAS ACCIPIS G R A T I S ET S I N E ULLĀ OBLIGATIONE. NAM LEO LATINUS PUTAT HOMINIBUS LATINAM LINGUAM DISCENTIBUS AUT DOCENTIBUS CORDI ESSE VERBA LATINA. SI TAMEN TALES EPISTULAS ACCIPERE NON VIS, RESCRIBE HOC NOBIS: TUM STATIM NOMEN TUUM EX INDICE ACCEPTORUM TOLLEMUS.

HŌC TEMPORE DUO FERĒ MILIA HOMINUM LATINĒ DOCTORUM ACCIPIUNT EPISTULAS LEONINAS ELECTRONICĒ MISSAS. EPISTULAS LEONINAS I-
 CCXXXIX INVENIES IN INTERRETI SUB HAC INSCRIPTIONE, QUAE SEQUITUR: <http://ephemeris.alcuinus.net/leonina/>

MAXIMĒ ID CURAMUS, UT COPIAM VERBORUM LATINORUM CONVENIENTER AUGEAMUS ET TEXTŪS MODERNOS CUIUSVIS ARGUMENTI QUAM OPTIMĒ IN LATINUM SERMONEM CONVERTAMUS. ROGATUR, UT MANUSCRIPTA MITTANTUR VIĀ ELECTRONICĀ. MENDA SIVE GRAMMATICA SIVE METRICA, QUOAD FIERI POTEST, TACITĒ TOLLUNTUR.

EN HABES EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM QUINTAM (255)

ARGUMENTA

PRAEFATIUNCULA.....
AUCTORITAS FACIT LEGEM NON VERITAS.....
CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA.....
NE VASSINTONIUM NEVE MOSCUAM SEQUAMUR.....
CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA.....
DE AEGOLIO ACADICO ULULA SONORISSIMA.....
DE ACIPENSERE APUD ANTIQUOS PISCE NOBILISSIMO HABITO...
DE ADANSONIA ARBORE AFRICAE MAXIME MIRABILI.....
DECALOGUS PRASINORUM.....
ECHUS VOCES ET EPISTULAE.....
Victorius Ciarrocchi, Iohannes Knijff, Ansgarius Osloensis, Paulus Kangiser, Urbanus Ferrarius, Marcus Cristini, Naevius Sartorius
CORRIGENDA ET SUPPLENDÄ.....
LIBRI LEONIS LATINI.....

PRAEFATIUNCULA

**LEO LATINUS OMNIBUS HOMINIBUS LATINITATIS
AMANTIBUS SAL.PL.DIC.**

Cara Lectrix, Care Lector,

utinam adversus belli Ukrainianici furorem saevientis tibi
liceat occasiunculam capere Epistulae nostrae novissi-
mae perlustrandae! Maximam autem vim attribuo iis
sodalibus, qui mihi scripserunt, quidquid sibi in
buccam venerat de Vladimiro Putino deque Russis et
Ukrainis deque NATOne et Americanis, necnon de
nobis Europaeis, qui non directe, sed indirecte bello
affligamur. Semper vehementer gaudeo de symbolis
Lectorum, quibus Epistulae Leoninae mirum in
modum ditificantur; nomina eorum digna sunt, quae
hic afferantur ordine temporali: Victorius Ciarrocchi,
Iohannes Knijff, Ansgarius Osloensis, Paulus Kangiser, Urbanus
Ferrarius, Marcus Cristini, Naevius Sartorius. Commercio
enim litterarum, id est litteris a sodalibus mihi
scriptis et a me illis rescriptis fit, ut Epistulae
Leoninae non solum sint opuscula activa sed etiam –
sit via verbo! – interactiva.

Multo autem plura quam martialia huic Epistulae
Leoninae insunt zoologica et botanica, quae tibi
placitura esse vehementer spero. Agitur enim de
Aegolio acadico, de Acipensere sturione necnon de

Adansoniâ digitatâ. Quaenam res obscurae istae sint,
quaeris? Lege symbolas Leonis, ut doctior evadas!

Ergo, ut ait Apuleius Madaurensis: „Lector (Lectrixve)
intende: laetaberis!“

*Pancraticē vale et perge mihi favere.
Medullitus te salutat...*

Dr. Nicolaus Groß
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae




<http://www.leolatinus.com/>

LEO LATINUS

Senden ex oppidulo Bavariae Suebicae,

Die Martis
15. m.Mart. a.2022



THOMAS HOBBS (1588-1679)

**AUCTORITAS
FACIT LEGEM
NON VERITAS**

CHRONOGRAMMATA HERBERTIANA



Rafael: Verklärung Christi, 1520

Zum 13. März, dem **2. Fastensonntag mit dem Evangelium der Verklärung Christi:**

2022* Ita apostoLI PetrVs et IaCobVs et Ioannes In VIStione speCVLatores faCtI sVnt gLorIosae TransfIgVrationIs VIrtVtIs DoMINI nostrI IesV VnigenItI PatrIs. – So sind die Apostel Petrus, Jakobus und Johannes in einer Vision Augenzeugen geworden der glorreichen Verklärung der Kraft unseres Herrn Jesus, des Eingeborenen Sohnes des Vaters. – Lk 9, 28-36; vgl. 2 Petr, 1,17

Zum 1. März, dem **Beginn des Monats März:**



Monatsbild im Breviarium Grimani, Brügge, ca. 1515

2022* MartIVs a Marte IoVIIs patrIs potentIs et IVnonIs. - <das Wort> März stammt von Mars, dem Sohn des mächtigen Göttervaters Jupiter und der Juno. – vgl. Durandus, Rationale VIII,4,5

Zum 2. März, dem **Aschermittwoch und Beginn der Fastenzeit:**

2022* DeVs MeVs et LVX CarItatIs et fontIs VerItatIs, ConversVs VIVIficabIs nos, et pLebs tVa LaetabItVr In te. - Wende dich zu uns, mein Gott und Licht der Liebe und des Quells der Wahrheit, du wirst uns Leben bringen, und dein Volk wird sich an Dir erfreuen.

2022* hoMInes totI natI MorItVrI qVoqVe erItIs. – All ihr Menschen, einmal geboren, seid auch zum Tod bestimmt. Variation zu pulvis es et in pulverem reverteris

2022* hoMInbVs totIs natIs erIt teMpVs poenItentIae. - Für alle lebenden Menschen wird es die Zeit der Buße sein.

2022* Inops, hoDIE Infer rIt spatiVM annI poenItentIae et DIVInae pIetatIs. – Armer, heute beginne gebührend den Jahreszeitraum der Buße und der gottgeweihten Frömmigkeit.

2022* VIDete: aDest totIs nobIs teMpVs annI Verae et pIae poenItentIae. - Seht, für uns alle ist die Jahreszeit der wahren und gottesfürchtigen Buße gekommen.

NE VASSINTONIUM

NEVE MOSCUAM SEQUAMUR:

QUARE EUROPA EGEAT RATIONE POLITICA PROPRIA

Conflictu ucrainico-russico bellum in Europam est reportatum. „Bona“ NATO dicitur pugnare contra „malum“ Putinum. Estne haec res verē tam simplex? Quacumque ratione diurnarii et civitates occidentales multum olei flammis bellicis infundunt, cum noctu *Charkovii* et *Chiovae* bombae incidunt in familias Ucrainicas inermes. Hoc thema praevaleret, sed multi nesciunt rectē perpendere, quid valeant nuntii ex Ucrainâ et Russiâ allati. Qualecumque hoc bellum est: non est bellum nostrum! Conflictus ucrainicus imprimis est conflictus NATOnis in orientem expandendae. Qui nobis omnibus et Ucrainis et Russis iniungitur. Quo animus noster avertitur, dum WHO (Organisatio Valetudinis Mundana) praeparat *syngraphum vaccinationis mundanum*. Iam gubernatio Germaniae d.18. m.Mart. in Conventu legatorum foederali decernere vult obligationem vaccinandi generalem – quamquam ubique gentes reclamaverunt remediis coronariis inutilibus et plerarumque terrarum gubernationes omnia remedia anticoronaria iam sustulerunt. Ucrainia autem quodammodo facta est sphaerula lusūs tūdicularis geopolitici. Civitates Unitae systematicē revolutionibus quas appellant coloratas instabiles faciunt totas res publicas, quales sunt Libya, Aegyptus, Syria. Americanis nostra Europa nihil est nisi statio ferriviaria transportatoria aut navis aeroplanigera. Qui nolunt Ucrainiam liberare et gentium superanitatem servare, sed cupiunt custodiam et capital totius orbis terrarum. Civitates Unitae arma sua atomica ubique terrarum instruunt eademque exaugent. Num eaedem paterentur Russorum ruchetas atomicas directē ante ianuam suam domesticam – velut in Mexico aut in Cubâ – statutas? Diurnarii nostri occidentales nihil iam sunt quam neurospasta Novi Ordinis Mundi. Laus *Bidenii* et *Bärbockiae* - censura criticorum alternativorum. Tamquam novo botone presso intra spatum minutarum diurnarii a pandemiae putativae terrore apocalyptico animis injecto se convertunt ad instigationem

hominum antirussicam. Iidem demagogi, qui responsales sunt pro crisi oeconomicâ et migratione et pandemiâ putativâ, nunc volunt nos instigare ad bellum contra Russiam gerendum. Qui nos et Ucrainos et Russos alios in alios instigant. E.g. uno die Saturni plures homines manifestaverunt se cupere bellum contra Russiam gerendum quam manifestaverunt per biennium quarantaenae et obligationis mascariae et iurum fundamentaliū deminutionis. Diurnarii gubernationi obnoxii mendaciis inculcandis primo nos sopiverunt et nunc ad fines suos assequendos excitant et instigant. Europa et Ucraina vinculo artissimo geographico et cultuali et oeconomico cum Russiâ sunt coniunctae. Nos vivimus mediâ in Europâ neque in Civitate Texanâ. Nos studemus stabilitati Europae, nolumus civitates vasallorum cuiuslibet. Isto conflictu fervidê augebitur formatio molium geopolitica et Russia etiam vehementius immovebitur in bracchia Chiae. America eo quod Russiam excludit ex relationibus suis commercialibus nihil efficit nisi foveat Russorum proprias institutiones earumque a gigantibus Americanorum technicis independentiam. Pretia frumenti et olei Dieseliani iam nunc immaniter augentur, nos usque ad genua defixi stamus in palude inflationis ubiquitariae. Quasi nondum satis absurdâ atque insana esset instigatio bellica, nunc politici profesionales postulant, ut aeropiana pyraulocinetica NATOniana contra Russiam in Ucrainâ adhibeantur. At istud si faceret, NATO Russiae bellum indicaret! Quis lucrabitur, quis lucrum accipiet, si Europa se ipsam destruxerit? Cum hîc apud nos ferê omnes videntur delirare et mundus oculos tenet in Ucrainam defixos, WHO curat faciendas res immutabiles. D.18.m.Mart. volunt in Germaniâ lêge sancire obligationem vaccinandi ideoque fundamentum systematis creditorum socialium. Nos quidem debemus cavere, ne intrahamur in bellum. Nos non debemus alienis rebus nos ipsis intermiscere, sed egemus firmo arbitrio libero.

<https://auf1.tv/nachrichten-auf1/weder-washington-noch-moskau-warum-europa-eigenstaendige-politik-braucht>

**HUNC COMMENTARIUM
 D.14. M.MART.A.2022 AB „AUF1“
 TELEVISIFICA STATIONE AUSTRIACA
 EMISSUM
 LATINE REDDIDIT
 LEO LATINUS**

CHRONOGRAMMATA ROESSLERIANA

Pier Paolo Pasolini

* 5. März 1922 in Bologna

† 2. November 1975 in Ostia

QVINQVIIES VIGINTI ANNIS ANTE
 DIE QVINTO MARTII BONONIAE NATVS
 PETRVS PAVLVVS PASOLINI
 POETA PROBVS
 ATQVE
 PRINCEPS PRAESIGNIS PELLICVLAE

MMXXII

Am 5. März vor hundert Jahren wurde Pier Paolo Pasolini in Bologna geboren.
 Er war ein guter Dichter und ein ausgezeichneter Filmregisseur.

* * *

QVATER VIGINTI QVINQVE ANNIS ANTE
 III NONAS MARTIAS BONONIAE NATVS
 PETRVS PAVLVVS PASOLINI
 SCRIPTOR ET POETA BONVS
 ATQVE
 ILLVSTRIS DIRECTOR TAENIOLA E

MMXXII

Pier Paolo Pasolini wurde am 5. März vor hundert Jahren in Bologna geboren.
 Er war ein großer Schriftsteller und Dichter.
Berühmt wurde er aber vor allem als Filmregisseur.

DE AEGOLIO ACADICO ULULA SONORISSIMA



Aegolius acadicus

Sägekauz – northern saw-whet owl – petite nyctale – lechuza norteña – civetta acadica

Aegolius acadicus est ulularum species boreo-americana familiae *Strigidarum* similis speciei maiori, quae appellatur *Aegolius funereus*. Nomina eius anglicum et theodiscum spectant ad vocem huius ululae, quae dicitur similis esse sono, qui oritur, si serra acuitur cote. - *Aegolius acadicus* invenitur per zonam borealem et frigidulo-temperatam ab Alascâ

australi versus orientem usque ad Novam Scotiam et in montibus in occidente Americae borealis versus meridiem usque ad Mexicum. Haec species avium est migratrix partialis; praecipue populationes septentrionales autumno migrant versus meridiem. *Aegolius acadicus* praecipue nidificat in silvis mixtis, sed invenitur etiam in silvis alias generis. Multum valet abundantia cavernarum ad habitandum aptarum et arborum dormitoriarum. Haec ulula est venatrix insidiosa, quae praecipue se nutrit parvis bestiis rosoriis. Prope litus Oceani Pacifici praedae eius praecipuae sunt crustacea et insecta aquatica. -



ECCE AEGOLII ACADICI IUVENILES

Descriptio. *Aegolius acadicus* est parva ulula, quae magnitudine interest inter *Athenen noctuam* et *Glaucidium passerinum*. Mares corporis longitudines assequuntur, quae sunt inter 18 et 20 cm, feminae sunt paulo longiores (20-21 cm). Pondus huius avis interest 75 et 100 g. Pedes et digitii pedum tam *Aegolii acadici* quam *Aegolei funerei* sunt densè pennati. Caput est relativè magnum neque instructum est plumicornibus. Iris est coloris flavi aut aurei. Alae sunt insigniter rotundatae, 10 remiges primarii; cauda est brevis. - In avibus adultis latus superius est coloris brunnei; frons, vertex, cervix sunt striatione forti, albâ, quae circa indusium faciei densatur formâ limbi. Indusium faciei rotundum est inter et supra oculos, infra frontem formâ cunei indusio imminentem - colore lucidè-brunneo, usque ad imaginem striis brunneo-albis obsitum. Pennae scapulares et pennae tectrices sunt maculis albulis et guttularibus, quae in marginibus partim etiam inest parti alarum. Pennae rectrices relativè angustae sunt taeniis, quae inter sunt valdè remotae. Latus inferius album, virgis longitudinalibus rubeolo-brunneis vel brunneis. - Aves veste iuvenili induitae in latere superiore sunt obscurè-brunneae, in umeris habent maculas bysseas (*beige*), in pennis alaribus et rectricibus albulas. Pectus

est brunneum, reliquum latus inferius cinnamomeum. Pars alba inter et supra oculos habet formam litterae Y et ab indusio nigro-brunneo bene distinguitur. Pennae in mento sitae sunt coloris byssei (*beige*).



Vox. Nomina *Aegolii acadici* anglicum et theodiscum spectant ad vocem huius ululae, quae dicitur similis esse sono, qui oritur, si serra acuitur cote. Cantus huius ululae est series vocum monotona sonorum mollium eiusdem altitudinis, qui brevibus intervallis repetuntur. Vox *Aegolii acadici* intra silvas fertur circiter per 300m, trans areas aquae circiter auditur usque ad distantiam unius chiliometri. Cantus plerumque a mare editur, sed interdum etiam ex feminâ auditur. Si nidum advenit aut si feminam initurus est aut si cantum incohaturus est, interdum edit seriem vocum, quae cantui est similis, celerior, profundior et constat ex 4-5 elementis. Deinde femina prope nidum aut ante coitum edit tsst altum atque distinctum. Clamores excitatorii sunt „fletus“ (qualis dicitur) altus, longè tractus, felinus et – plerumque - si qui invasores imminent – quidam „latratus“ acer et altus et syncopatus. Praeterea describuntur soni scissi et quirantes et glocientes. Pulli in nido sedentes pabulum mendicantes sénis

vel octonis syllabis friguttiunt. Evolaturi asperiorem êdunt sonum, qui litteris *tssschk* describitur.



Migrationes. *Aegolius acadicus* est migrator partialis, cuius praesertim populationes Canadae australis migrant versus meridiem, sed multae aves huius speciei in oriente atque occidente Americae borealis versantes sunt stativae, e.e. subspecies, quae nuncupatur *brooksi*. In montibus hiemali tempore hae ululae saepe e locis altioribus demigrant. Regiones hiemandi earum migrantium versus meridiem pertingunt usque ad Iovam, Indianam, Novam Caesaream (*New Jersey*); rarius inveniuntur hiemantes in Oclahomâ, Kansiâ, Tennesiâ, Ludovicianâ, Georgiâ, Nivatâ, in Californiâ australi aut in Arizonâ. Interdum errantes veniunt usque ad Sinum Mexicanum. Migrationes autumnales praecipue fiunt mensibus a Septembri usque ad Novembrem, frequentissimê Octobri. Migratio vernalis finitur Maio exeunte aut, si tardissimê, Iunio ineunte. Nonnullis annis, quibus proles propagatur bono successu – quod solet fieri quarto quoque anno – numerus individuorum migrantium est valdê magnus. E.g. a.1995 in quinque stationibus anellandi prope lîtus Maris Atlantici capta sunt 2596 *Aegoliorum acadicorum*, cum spatium trium annorum praeteritorum quattuor in harum stationibus ducenta tantum exempla huius speciei in anno sunt capta.

Biotoxi. *Aegolius acadicus* nidificat in variis generibus silvarum et arboretorum. Ad nidificationem maximē videntur valere cavernae nidificae, arbores frondosissimae aut coniferae, quae utiles sunt ad dormiendum, et frequentia mammalium minorum, quae ab hac ululā vorantur. Frequentissima est haec species in coniferetis prope fluvios sitis, sed invenitur etiam in silvis mixtis, silvis frondosis, coniferetis forestalibus, zavanis fruticetorum, quibus insunt etiam arbores. Si adsunt apta receptacula nidifica, *Aegolius acadicus* prolem etiam propagat in fruticetis prope lītus sitis, in vegetatione dunarum, in pōpuletis. In Californiā hae ululae etiam in lucīs eucalypti nidificant. Cavernae nidificae iam inventae sunt in coniferis mortuis intra uligines silvestres sitīs aut in mālo electrophoro, qui stabat in caesione silvae *Pinuum banksianarum*.



Prolis propagatio. Mares ad regionem venaticam suam indicandam cantant a Ianuario exeunte usque in Maium. Hōc spatio temporis etiam feminae adveniunt regiones venaticas. Nonnullae harum regionum ineunte demum anno occupantur, aliae videntur occupatae esse per totum annum. *Aegolius acadicus* prolem curat in cavernis nidificis iam exstantibus, quarum introitus est latitudinis 6-9cm, diameter internus 7,5-9cm, profunditas 22-45cm. Plerumque haec species utitur cavernis nidificis *Colaptae* aut *Dryocopi pileati*, quae sunt genera picorum.

Sed interdum etiam picorum minorum, qualis est *Picoides villosus*, cavernas aut putrefactione aut a sciuris dilatatas inhabitat. Etiam capsae nidificae aptae magnitudinis – quales praebentur *Aigi sponsae* (quae est species anatum) – a *Aegolo acadico* accipiuntur. Materiae nidificandi non inferuntur. Ova deponuntur in fundo cavernae, velut in ligno putrescenti aut in materiā nidificā incolarum priorum. Ulula, quam hīc tractamus, ova parere incipit spatio temporis, quod interest Februario et Iunio ineunti.

Pariuntur 3-7 ova alba et rotundo-ovalia, quae sunt superficie exiguē nitida vel languida, latitudine 25mm, longitudine 20mm. Incubatio incohatur primo aut altero ovo parto et fit per minimē 27, maximē 29 dies. Quae non fit nisi a feminā, quae cibatur a mare et nidum non relinquit nisi semel vel bis breviter in nocte. Pulli exclusi per 18 minimum dies coluntur. Hōc spatio temporis pulli et femina pascuntur a mare. Postea etiam femina pullos cibat et saepius avolat e nido. Tempore pullos colendi eructamenta et stercus a feminā e nido amoventur, postea eadem in cavernā nidificā tantopere accumulantur, ut oriatur stratum complurium centimetrorum. Cavernam nidificam cum reliquerint, tamen prope eandem manent ibique ferē per mensem cibantur. Verisimile est eosdem post sex vel maximē octo septimanas ipsos se nutrire posse, sed hoc parum accuratē notum est.



**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE AEGOLIO ACADICO
SCRIPTAM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

DE ACIPENSERE APUD ANTIQUOS PISCE NOBILISSIMO HABITO



ACIPENSER STURIO

acipēnser, -eris m.

Stör – sturgeon – esturgeon – esturión - storione

nomen. zool. Acipenser spec.

Leitner (Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.7 sq., Latinê reddo):

Nomen antiquum ad quam spectet speciem ichthyologicam¹. Plinius maior in Historia sua Naturali de acipensere refert haec (PLIN.nat.9,60): “apud antiquos piscium nobilissimus habitus acipenser, unus omnium squamis ad os versis contra quam in nando meant...” Sed nullus piscis est, cuius squamae a cauda versus caput sint versae. Itaque Thompsonio hic locus videtur esse corruptus, qui opinatur Plinium veterem errorem recepisse; nam quia acipenseris peculiaritas in eo sit, quod eius squamae in ossa conversae sint, sensus originalis huius loci videtur fuisse hic: “squamae in os<sa> conversae”. In catalogo piscium Plinius (nat.32,145) commemorat hunc pisces esse “peculiarem maris”; quae adnotatio est recta, sed acipenser ad ova parienda natando ascendit per flumina. Zoologi inter se consentiunt acipenserem Plinianum esse *Acipenserem sturionem*. Inhabitat maria europaea excepto Ponto Euxino. - 9,60 Plinius addit haec: “Quidam eum elopem vocant.” Synonyma esse acipenserem et elopem dicit etiam Athenaeus VII,p.294F.: Ἀπίων δ' ὁ γραμματικός...τὸν ἔλοπα τοῦτον φησι εἶναι τὸν ἀκκιτήσιον et PLIN.nat.32,153 hunc errorem

¹ cfr Helmut Leitner, Zoologische Terminologie beim Älteren Plinius, Hildesheim 1972, p.7 sq., Latinê reddidi.



ACIPENSER RUTHENUS

corrigit propter textum Ovidii (*Halieutica* 96): “Helopem dicit (sc. Ovidius) esse nostris incognitum undis, ex quo appareat falli eos, qui eundem acipenserem existimaverint.” - Codices tradunt et formam aspiratam (helops) et non aspiratam (elops). Ovidius loc.cit. dicit: “pretiosus helops, nostris incognitus oris”. Similitudo autem horum piscium duorum est ergo permagna; nunc si verba Ovidii quadrare, secundum quae additamentum sit indici falsam esse nominum aequationem, concludendum est elopem esse *Acipenseridarum* pisces minimum, i.e. *Acipenserem ruthenum*. Qui non invenitur nisi in Ponto Euxino et in regionibus Maris Interni orientalibus. Adiectivum, q.e. “pretiosus” (cfr LUCIL.fr.inc.51 M.: *praeclarus*) et verba nat.32,153 allata optimè congruunt cum specie q.e. *Acipenser ruthenus*. G. Schmid sentit Plinium (nat.9,60) non loqui de *Acipensere rutheno*, sed de *sturione*, quia verba eius spectent ad *Acipenserem* in Mari Interno versantem. Etiam Aelianus n.a. VIII,28 sentit ἔλλοπα esse *sturionem*. Athenaeus quidem acipenserem (ἀκκιπήσιον) aequat elopi (ἔλλοψ), sed idem auctor indicat ἀκκιπήσιον praedicari esse cibus delicatissimus; cum autem reverâ caro acipenseris sturionis sit sapidissima, licet opinari antiquâ aetate unum pisces cum altero esse confusum. Attributo, quod apud Ovidium in *Halieuticōn* lin.134 affertur (*tuque, peregrinis acipenser nobilis undis*) excluduntur species *Acipenserum*, qualis est *sturio* aliaeque, minores in Adriatico tantum Mari habitantes. *Acipenser* Ovidianus a Schmid determinatus est species, quae ab ichthyologis hodiernis appellatur *Acipenser stellatus*. Qui non invenitur nisi in Ponto Euxino Marique Asowiano et Caspico.



Etymon. Parum certum est. 8 explicationes propositae sunt:

(1) **Salmasius (1689)**: Claudius Salmasius, i.e. Claude Saumaise, Plinianae Exercitationes, Trajecti ad Rhenum 1689, p.941) nomen derivavit ex verbis, q.d. acutus et *pesna > *penna, pinna*, i.e. *pinnis acutis instructus*. Sed acipenseris non habent pinas acutas.

(2) **Forcellini (1771)** etymo Salmasii allato addit: „...bene observavit Salmasius...nisi quod penna rectius crista, quam rostrum piscis dici videtur.“

(3) **Anonymous (s.a.)**: oci-, cfr *ociter*, (gr.) ὁκύς *celer, velox* et *pesna > *penna, pinna*, i.e. *pinnis celeribus instructus, celeriter natans*. At Acipenseris non celeriter natant.

(4) **Kirsch & Fordice (1899)**: graece *akis*, apex, et *pente, quinque*, quod spectare videtur ad quinque series scutorum acrum, quibus corpus Acipenseris est obtectum.



(5) Thompson (1947): e graeco nomine piscis *akkipesios*, quod fortasse aequale est nomini aegyptio, q.e. *xipen-pennu* (Thompson 1947).

(6) Marinelli (1973) adnotat pinnam acipenseris caudalem in parte anteriore squamis ganoideis acribus esse obiectam, quae a gentibus indigenis adhibitae sint ad uncum hamatorium conficiendum. Si cauda acipenseris apprehensa geritur, his fulcris (squamis ganoideis) effici possunt dolores inexspectati. Itaque *Marinelli* partem nominis, quae est *-pens-* derivat a ppp. Verbi temporalis pendendi, q.e. *pensum*, i.e. *onus*. –

(7) Delamarre (2003): conicit hoc nomen piscis esse originis celticae: **aci-pen-sera* (*Xavier Delamarre: Dictionnaire de la langue gauloise*. 2. Auflage, editions errance, Paris 2003). Tria etyma partialia sunt fortasse: *aci-* (dissim. ex *aci-*) „angulis/mucronibus acribus instructus“, *penno* „caput“ und *serra* „falx, sicilis“. Si haec etyma convenient, totum nomen valet: „(piscis) instructus aciebus acutis, capite, quod est tam incurvum quam falx“. Nomen esse potius celticum quam Latinum, verisimile est, quod hoc genus piscium in Latio defuisse videtur. –

(8) Guasparri (2000) aliter explicat originem nominis piscis a nobis hic tractandi: Ante rostrum quattuor cirri interdum arrecti, tenues (planati) dependent, quos Guasparri comparat cum acubus – *acupensis* est secundum hanc explicationem „piscis, in cuius parte anteriore cirri deorsum pendunt“ (*acuum pensum*). *Pensum* specialiter significat attributionem alicuius copiae – hôc in casu attributionem acuum. –

Haec derivatio etymologica, quam *Guasparri* delineatione capitis acipenseris adiectâ confirmat, mihi omnium maxime persuasibilis esse videtur. Ecce photographema quod sequitur.



Familia *Acipenseridarum* est familia archaicorum piscium osseorum magnorum aut permagnorum. Qui vivunt in Europâ, Asiâ boreali centralique, Americâ boreali. Plerique sunt pisces marini, qui migratori anadromi ad ova parienda ascendunt in flumina. Per exceptionem *Scapirhynchus* et *Acipenser fulvescens*, qui degunt in Americâ boreali, et *Acipenser ruthenus* semper manent in aquâ dulci. Acipenseridae praecipuê nutriuntur bestiis invertebratis, species eorum autem duae maxima, si adultae sunt, praecipuê aliis piscibus. – Notum est acipenseridas parere *caviarum*.

Acipenser sturio. In numerum notarum archaicarum *sturionis* refertur pinna caudalis *heterocerca*. Idem piscis hodie valdê raro invenitur in Mari Atlantico boreo-orientali. Ultimae regiones eius ova pariendi sunt in *Gironde*, i.e. aestuario Francogalliae austro-occidentali. Videtur adhuc restare populationem *Acipenserum sturionum* in Ponto Euxino, quae fertur ova parere in *Rioni* flumine Colchidis. *Acipenser sturio* longitudinem assequitur 3,4 metrorum et pondus plus 300 chiliogrammaorum. Eius color variatur a fusculo-viridi usque ad caeruleo-nigrum; latera sunt lucidiora. *Acipenser sturio persimilis* est *Acipenser oxyrincho*; hae species difficiles sunt inter se distinctu.

Conspectus. Statura similis est canis marini, pinna dorsalis est in remoto loco posteriore. *Sturio* est quinque seriebus longitudinalibus scutorum osseorum. In utroque corporis latere est una series 24-40 scutorum lateralium, quae sunt perangustê posita et partim unum alterum obtegentia. Accedunt duae series scutorum ventralium et una series scutorum dorsalium, quibus insunt tubera.

Nutrimenta. *Sturiones* nutrimenta in fundo aquae devorant. Quae sunt praecipuê varii vermes (*Annelida*: *Aphrodita*, *Tubifex*, *Nephtys*,

Stylaroides), mollusca, cancri (cammari, Carcini maenades, amphipoda) necnon larvae culicum et pisciculi. Adhuc saeculo 19. in Mari Germanico et Baltico numerosi sturiones fuerunt in Mari Germanico atque Baltico, in Atlantico et in fluminibus idem in mare influentibus, qualia sunt Rhenus, Albis, Visurgis, Vistula. Destructione circumiectorum et fluminibus regulandis vectione navalii necnon pescatione exaggeratâ factum est, ut *Acipenser sturio* in Germaniâ ubique interirent.



Disquisitionibus geneticis inventum est populationes *Acipenserum* in Mari Baltico fluminibusque in idem mare influentibus non constitisse e sturionibus, sed e *oxyrhynchis*. *Sturio* enim iam ante 1200 vel 800 annos rarescebat. Causa huius rarescentiae fuit deminutio temperaturarum aquae Maris Baltici inter spatium temporis glaciale minus (16. - 19. saeculum); sturio eget insigniter maioribus temperaturis quam *oxyrhynchus*. Eidem enim iam sufficit temperatura 13 graduum Celsianorum.

A.2010 decretum est, ut *Acipenser sturio* ad lîtus Maris Germanici fluminaque in idem mare influentia denuo vivere posset (*Consilium actionis nationale*, quo curatur *Acipenser sturio* tutandus et servandus). Iam curatur, ut *Acipenser oxyrhynchus* in Viadro et Mari Baltico novas sedes acciperet.

Acipenser ruthenus est altera species familiae *Acipenseridarum*. Cum idem sit 40-100 cm longus, *ruthenus* est gracili corpore et rostro infra

posito et protensibilis. Color eius fundamentalis est obscurê griseus vel fuscus, eius venter est flaveolus vel albus cum nitore rubro. Rostro leviter sursum incurvato subest series transversa 4 cirrorum fimbriatorum, qui pertingunt usque ad marginem rostri anteriorem. Corpus *rutheni* obtegitur quinque seriebus laminarum ossearum, 11-17 scutis dorsalibus coloris eburnei acri pectine uncoque instructis et 60-70 scutis lateralibus, qui pertingunt a radice caudali usque ad operculum branchiae. 16-18 laminae osseae positae sunt inter pinnas pectorales et ventrales. Cuti insunt squamulae perparvulae. Pinna caudalis *rutheni* est – talis qualis omnium *Acipenseridarum* – heterocerca, i.e. asymmetrica; in eâ pinnâ pars superior longior est inferiore. Pinna dorsalis et analis sunt in corporis ultimâ parte quartâ.



ECCE INGENS HUSO IN IRANIA A.1959 CAPTUS !

***Huso huso*.** Hic piscis est omnium *Acipenseridarum* maximus et habetur pro uno ex piscibus osseis maximis. Idem invenitur in Ponto Euxino et Mari Caspico et in fluminibus, qui in illa influunt necnon prius etiam inveniebatur in Mari Hadriatico septentrionali. *Huso* more tradito

praesertim capit ad caviarum fabricandum, sed etiam ad comedendum. Propter piscatum immodicum et amissionem locarum ad ova parienda aptarum haec species *Acipenseridarum* hodie in periculo est, ne intereat. -



Conspectus. *Huso* staturâ est *Acipenseridarum* longitudinali typicâ, instructus est quinque seriebus scutorum osseorum et pinnâ caudali heterocercâ. In comparatione aliorum *Acipenseridarum* hic piscis est corpore solido atque compacto. Quae bestiae sunt colore obscurê-griseo vel caeruleo-griseo, ventre lucidiore, scutis osseis. Rostrum *husonum* Ponti Euxini est relativê breve et lâtê rotundatum, Maris Caspici magis longitudinale. Sicut in *Husone daurico* ôs est formae semilunaris tamque latum, ut pertingat usque ad marginem rostri. Ôs *husonis* contra ac ôs *Acipenserum* porro aperitur et quattuor cirri ante idem siti sunt e latere planati et fimbriati. Membranae branchiarum utriusque lateris sunt inter se coniunctae et in latere ventrali liberae. Nassa branchiarum instructa est 17-36 spinis. Contra ac *Huso dauricus* punctum dorsi sumnum positum est post primum scutum dorsale. 9-17 scuta dorsalia sunt rotundata, post pinnam dorsalem 48-81 radiorum nulla scuta sunt. 28-60 scuta lateralia inter se seiuncta sunt aut bene visibilia aut paene sunt scuta absorpta. Idem



© lubomir hlasek
www.hlasek.com
Huso huso hf3877

habet 7-14 scuta ventralia, quae in *husonibus* iuvenilibus insigniter apparent. Cutis scutis interposita maximam partem est nuda. Inter ânum et pinnam analem 22-41 radiorum posita sunt nullum aut tria scuta. - Longitudo *husonum* puberum variatur inter 185 et 250 centimeta. At hae bestiae multo longiores fieri possunt, sed longitudines ab aliis auctoribus aliter indicantur. Plerumque indicatur longitudo summa 5-6 metrorum et pondus maximum unius tonnae. Ab institutione »FishBase« indicatur pondus maximum 2072 chiliogrammorum. Traditae nobis sunt relationes saec.19. scriptae, in quibus refertur de *husonibus* etiam maioribus, longitudinis 8 metrorum et plus trium tonnarum; tales autem relationes interim in dubium vocatae sunt. - Habitatio *Husonis husonis* complexa erat Pontum Euxinum et Mare Asowanum et Caspicum et Hadriaticum et flumina cum illis confluentia. - At interim haec species e Mari Hadriatico et Asowiano evanuit. In Ponto Euxini ultimi *husones* migrant ad ova parienda in Danubium, in Mari Caspico, in fluvios montium Uralianorum. Propter longaevitatem *husonum* singula individua adhuc inveniuntur in regionibus, ubi proles non iam potest propagari. Ne umquam absint

husones in flumine *Wolga*, curatur novis individuis imponendis. - In Danubio haec species prius adhuc usque ad Austriam inveniebatur, rarius etiam usque ad Germaniam; eo ipso huso fuit *Acipenserida* anadromus, qui migravit per spatium omnium maximum (per summum 2320 chiliometra). Loca ova pariendi omnium praestantissima sita erant prope limitem hungarico-slovacum. Tota regio distributionis propter aggeres *officinae electricae Portae 1 et Portae ferreae 2* a.1972 et 1984 constructos quodammodo absecta est. Regiones Danubii, ubi *husones* ova pariebant, a.2003 adhuc prope limitem bulgarico-dacoromanici inter oppida *Lom* et *Artschar* observatae sunt. Loca ova pariendi sita erant in profunditatibus aquae, quae fuerunt inter 9 et 22 metra, in silice et harenâ crassâ, in regionibus fluctûs insignis, saepe prope insulas fluminis. - **Modus vivendi.** *Husones* sunt contra ac plerique alii *Acipenseridae* venatores activi, qui in aquâ liberâ in profunditatibus plus 170 metrorum venantur et praecipuê nutriuntur aliis piscibus; inter quos pisces *Clupeiformes*, velut *Engraulis encrasicolus* in Ponto Euxino et species generum, q.s. *Clupeonella* et *Alosa*, in Mari Caspico et *Gobiidae* sunt praeda eorum principalis. Praeterea etiam mollusca variaque animalia crustacea devorantur nec desunt relationes de avibus aquaticis vitulisque marinis ab husonibus captis et degluttitis. Ad ova parienda *husones* immigrant in flumina. In Danubio *husones* originaliter usque in regionem germanicam ascendebant. Qui ova pariunt tertio aut quinto quoque anno. Migrare possunt per totum annum, sed tempus migrandi principale a mense Octobri usque ad mensem Novembrem et in mensibus Februario et Martio. *Husones* autumno migrantes hiemant in locis fluminis profundis et unâ cum vernali tempore migrantibus ova pariunt mensibus ab Aprili usque ad Iunium. Femina summum 7 millones ovorum parit locis profundis et in fundo lapidoso et fluctu forti. Pisciculi post 8-10 dies exclusi fluctu agitantur secundo flumine, idque per spatium summum 60 chiliometrorum in die. *Husones* iuveniles per septem vel octo dies vitello nutriti 3 ferê centimetra longi incipiunt praedari larvas piscium. Aestate iidem praecipuê versantur in aquâ fluminis vadosâ et primo iam anno mare assequuntur, ubi manent usque dum pubescant. Mares pubertatem assequuntur aetate decem, summum 16 annorum, a feminis aetate 14 vel summum 20 annorum. Computatum est *husones* 4 metra longos esse centenarios. - **Usus.** *Huso huso* praecipuê capiebatur propter ova ad caviarum fabricandum adhibita, quae secundum nomen speciei russicum veneunt sub nomine *caviari Belugani*. Ad hoc accipiendum feminae ova pariendi causâ migrantes in



ECCE DUO HUSONES
PITTACIO HUNGARIAE EPISTULARI IMPICTI

regione orum fluvialium capiuntur. Caviarum *Beluganum* pro tam bono habebatur, ut chiliogramma eiusdem a.2009 circiter 8000 dollariorum constaret. Praeterea caro *husonum* praecipue in mari captorum adhibetur. Propter ova maximè aestimata coluntur etiam hybridae, qui ab *husonibus* feminis et maribus *Acipenseribus ruthenis* inter se commixtis geniti appellantur *optimi*. - **Romani** *husonem* venabantur, qui ante 2000 annorum sat saepe inveniebatur in aquis Danubii, retibus, quibus studebant *husonem* agitare in aquam vadosam. Itaque Romani fuerunt primi omnium pescatores, quos *husones* cepisse complura metra longos nobis traditum est. - In testimoniis monasterii Benedictinorum Fuldensis vetustis *huso* in Danubio superiore captus maturè iam refertur fuisse unam ex annuis donis a *Vivilone* episcopo Passoviensi (739-744/745) et a *Gaubaldo* episcopo Ratisbonensi oblati, quibus 400 ferè monachi victum sustentabant. Etiam postea usque in saeculum septimum decimum *husones* monasterio Fuldensi dono dati sunt. Nec defuit *huso* in Alcmonâ (*Altmühl*) fluvio Danubii secundario. *Megingoz* episcopus (991-1015) *Henrico I.* episcopo Herbipolitano (995/996-1018) *husones* misit in Alcmonâ captos, ut remuneraretur bonum vinum acceptum. More traditum etiam erat vesicam *husonis* natatilem adhibere ad glutinem fabricandum. Talis gluten habebatur pro optimo et adhibebatur a vinitoribus et textoribus sericariis, tonsoribus, coryphaeisque artis coquinariae medicinalisque. E vesica *husonis* natatili in arte populi religiosâ etiam conficiuntur opera ectypi filigrana, quae appellabantur imagines vesicae *husonum* (*Hauchbilder* sive *Hausenblasenbilder*).

Caviarum. (persicê: خاویار *Xāviār*) sunt ova purgata atque salita variarum specierum familiae *Acipensidarum*, quae praecipue capiuntur in Ponto Euxino et Mari Asowiano et Mari poli borealis et Mari Caspico. Species frequentissimae sunt *Acipenser ruthenus*, quae est minima, *Acipenser baerii*, *Acipenser gueldenstaedtii*, necnon *Huso huso*, quae est species omnium *Acipensidarum* maxima. Caviarum interdum appellatur *aurum nigrum*. Talia ova usque nunc plerumque accipiebantur *acipenseridis* mactandis, quia ova nonnisi immatura stabiliora erant, quam ut tela gonadum subtilis salitione destrueretur. Secundum methodum ipsius AWI (*Instituti Alfredi Wegneri Investigationis Polaris et Marinae*) ex a.2014 caviarum fabricatur ex ovis, quae capiuntur non *Acipenseridis* necandis, sed destringendis. Interea ipsum AWI concedit ubique terrarum permissiones methodi ova stabiliendi, ut produci possit caviarum pretiosum ex ôvis, quae *Acipenseridâ* vivo destringendo accepta sunt.



**DE ACIPENSERE
SCRIPSIT
LEO LATINUS**

DE ADANSONIA ARBORE AFRICAE MAXIME MIRABILI



*adānsōnia, -ae f.

Affenbrotbaum – baobab – baobab – baobab - baobab


Adansonia digitata, quae nomine populari appellatur **baobab** (arabicē *bu-hubub*), refertur in subfamiliam *Bombacoidearum*, in familiam *Malvacearum*. Est una ex arboribus Africae tropicae notissimis et insignissimis. Nomine generis scientifico honoratur *Michael (Michel) Adanson*, inventor huius arboris Francogallus, qui saeculo duodevicesimo Ludovicopoli condidit primum *Senegaliae* hortum botanicum. Epitheton specificum, q.e. *digitata*, spectat ad formam foliorum, quae constant ex minimē quinis vel maximē novenis foliolis singulis, quae quadamtenus similia sunt digitis manūs humanae.



ECCE FRUCTUS ADANSONIAE



Notae specificae. Adansonia stipite insignis est relativē brevi, sed crassissimo. In Africae australis districtu *Letaba* stat adansonia, quae est altitudine 19 metrorum, sed diametro stipitis 10,64 metrorum. In Africā orientali saepe inveniuntur stipites adansoniae, qui habent formam lagoenarum; stipes talis arboris per pauca metra altitudinis abruptē cacuminantur sive acuminantur. - Culmen adansoniae constat e ramis robustis, saepe deformibus, quibus formatur corona dilatissima. Si expers est foliorum, culmen simile est systemati radicum; formā mirā factum est, ut haec arbor in fabulis narretur a diabolo terrae implantata esse inversa. - Stipes saepe est sulcis aut cavernulis instructus. Cortex griseo-brunnus crassitudine est 5 vel maximē 10 centimetrorum. Itaque arbor incendia dumetorum superare potest relativē integra. Cortex exterior est durus, interior fibrosus. Arbores iuveniles primo habent radicem palarem. Arbore adolescente oritur sistema radicum lateralium, quod pertingit usque ad profunditatem 1,8 metrorum. In directionem horizontalem sistema radicum latius pertingit quam stipes arboris in altitudinem. In adansoniis secundum formam stipitis distinguuntur quattuor phases ontogeneticas: 1) propagines tenues, 2) coniformes, 3) lagoeniformes, 4) vetustae. Propagines (aetate 10–15 annorum) primo crescunt sine augmento



crassitudinis insigni ad altitudinem 4-6 metrorum, rami sursum eminent angulis acutis. In locis aptis adansoniae iuveniles in initio crescunt quotannis 80-100 centimetris. Deinde stipes turgescit ad formam coni similem (aetate 60-70 annorum), arbor assequitur altitudinem 5-15 metrorum, crassitudinem 7 metrorum, et arbor primo floret. Aetate 30-40 annorum rami crescere incipiunt angulo recto a stipite remoti et inde ex hoc tempore insigniter crescunt in longitudinem. Postea arbor altitudinem maximam 10-20 metrorum cum assecuta sit, lentem tantum augetur crassitudo stipitis et spatio 200-30 annorum stipes formam accipit lagoenae. Fieri potest, ut arbor aetate centum annorum assequatur diametrum stipitis quattuor vel quinque metrorum. Denique arbor efficit culmen dilatum et nonnisi lentissime crescit in latitudinem; saepe inveniuntur stipites cavi et multiplices (aetas: usque ad 800 annos).

Folia. Adansonia arbor spatiis periodicis foliis privatur. Folia simplicia aut digitata, longe petiolata et disticha in ramis extremis aestate ineunte brevi ante temporis pluvialis initium et plene evolvuntur intra spatium quattuor




septimanarum. Nisi pluvia cadit aut si copia pluvia est parva tantum, evolutio folii retardatur. Adansoniae primo exigunt folia, quae sunt simplicis formae ellipticae, sed maturē iam decidunt; in iuvenilibus quoque plantis folia sunt simplicia. Quae sequuntur folia frondea splendidē viridia, quae sunt in minimē quinque, maximē novem partes divisa. Quae habent diametrum circiter 20 centimetrorum; folia aut foliola sunt marginis integri et cuspidata. Petiolus est 16 centimetra longus. **Flores.** Aetas, quā arbor primo inflorescit, pendet a regione distributionis. In Africā occidentali adansonia primo floret aetate 8 vel maximē decem annorum, in Africā orientali et australi, si maturrimē, aetate 16 annorum. Florescere incipit 4 septimanis postquam folium ortum est. Florescentia praecipua fit per 4 septimas, singulus flos per 24 tantum horas floret. Hōc spatio temporis per 16-20 horas est pollinabilis. *Flores androgyni* dupli perianthio instructi plerumque sunt singuli aut bini, permagni, colore cereo-albo, longis petiolis ex axillis foliorum dependentes. Qui constant ex quinis petalis, quae paululo unum alterum obtegunt, 4,5-5cm lata et 12 cm longa, et calyce tri- quinquelobato, leviter piloso. Omnis flos continet 720-1.600 microsporophylla, quae ordinata sunt ratione penicilli rasořii et in



ECCE FLOS ADANSONIAE

basi suâ concreverunt in androphorum, i.e. tubulum angustum, 1,5-4,5 cm longum. *Gynoecium* pluriseptatum et superum, stylo longo et prominenti et stigmate plurilobato instructum. Etiam in hac re adansoniae inter se differunt secundum geographiam. In Africâ orientali et australi petiolus floris est tantummodo 20cm longus, in occidentali Africâ maximê 90 cm. Flores adansoniae, quorum dulciolus odor cadaverinus homini est iniucundus, aperiuntur tempore postmeridiano exeunte et postridie mâne sunt apertissimi. Qui nocte pollinantur a *pteropodidis* (qui et *canes volatici* appellantur), quales sunt *Eidolon helvum* et *Rousettus aegyptiacus*. Etiam *Otolemur crassicaudatus* et *Galago senegalensis* et varii papiliones nocturni flores adansoniae visitantes aliquatenus conferunt ad eos pollinandos. **Fructus et semina adansoniae.** Pollinatione factâ ad petiolos longos intra spatium octo mensium oriuntur capsulae ligneae et vellutinosae, non apertiles, multiseminatae, qui pro regione distributionis variâ sunt formatae. In adansoniis Angolensisbus fructus est formâ



longitudinali, in aliis regionibus distributionis naturalis potius formâ ovali vel globatâ. Fructûs e petiolis dependentes fiunt 25-50cm longi, inter maturationem e colore viridi per flavum in griseo-brunnum mutantur. Pulpa etiam homini edulis est alba et sicco-farinosa, quia continet vitaminum C, est saporis aciduli, et consistentiâ, quae aliquatenus similis est bombacio solido et fragili. Pulpae imposita sunt semina fructuum obscurê-fusca, quae effracta possunt comedî. Eadem sunt relativê laevia, magnitudine nucum avellanarum, formâ renum, adiposa. Praecipue elephantes et papiones, sed etiam antalopi et animalia mammifera minora hos fructûs devorant ideoque recipiunt semina, quae tractum digestorium pervadentes integra excernuntur et ab avibus ex excrementis rostro recipiuntur. Haec semina manent per complures annos germinabilia. Eorum *diapausa embryonica* diurna in naturâ non finitur nisi incendiis




aut imbris diutinis aut digestione elephantorum (*endochoria*). Si non tractantur, seminum germinabilitas est sub 20%. Quae possunt artificialiter fieri germinabilia eo, quod aquâ fervidissimâ infunduntur et per unum ferê diem iacent eidem imposita. Pro condicionibus tempestatis semina hōc modo praettractata possunt germinare post tres saltim septimanas, maximē sex menses. Germinabilitas seminum adansoniae etiam augeri potest, si acido tractantur aut eorundem integumentum limatur. **Aetas.** Magnitudine ingenti formâque irregulari iterum iterumque factum est, ut aetas earum nimis magni aestimaretur. E.g. *David Livingstone* putavit adansoniam quandam, quam prope flumen *Sambesi* invenisset, aetatem habere minimum 4000 annorum. Disquisitionibus prolixis in Keniâ, Maliâ, Sudaniâ, Tansaniâ, Sambiâ factis apparuit perpaucas tantum adansonias habere plures quam 400 annos. A.2018 investigatores rettulerunt novem ex 13 adansoniis vetustissimis intra spatium 12 annorum partim vel totas deperiisse. Causam esse ignotam; fortasse mutationes climatis habere quendam effectum ad has arbores. Secundum has disquisitiones adansoniam totius mundi omnium vetustissimam, in *Simbabwe* natam, cui nomen sit *Panke*, post plus duo milia quingenta annorum (aetas mensurata et computata est methodo radiocarbonicâ) spatio annorum 2010-2011 mortua est. Adansoniam autem vetustissimam omnium adhuc vivacem



vivere in *Simbabwe* et appellari *Humani Bedford Old baobab*; eandem computari aetatem habere mille octingentorum (1.800) annorum. **Usus.** Gens hominum quaedam *deserti Kalahariani* indigena, cui nomen est *San*, aquam adansoniae directe ex stipite forato derivat, ut sitim suam expleat. - Etiam pulpa, semina, cortex, folia, propagines adansoniae multimodis ab homine adhibentur; ceterum in cavernis huius arboris conduntur frumentum et aqua. Similiter ut prius in nostris vicis tiliae atque quercûs hominibus praebuerunt locos congregandi umbrosos, in terris Africanis adansoniae magnam habent vim socialem. Prope tales arbores mediis in vicis sitas saepe fiunt mercatûs et consultationes aliique eventûs sociales. In Africanorum medicinâ populari ferê omnis pars adansoniae adhibetur. E.g. medici fructibus adansoniae utuntur ad infectiones et morbos variolarum et morbillorum sanandos. Ex foliis medicamina conficiuntur ad dysenteriam et diarrhoeam et colicas et inflammations stomachi intestinorumque curandas. Seminibus adhibitis impugnantur morbi cordis et dentium et iecoris et paludosis (*malaria*). Methodis biochemicalis in

pericarpio fructuum adansoniae inventa sunt *proanthocyanidina*. Sed nondum disquisitionibus clinicis exactē demonstratum est, quantum efficiant tales substantiae phytopharmacologicae. Pulpa et semina adansoniae abundant proteinis et carbohydratibus et oleo necnon continent mineralia quae sunt calcium, kalium, magnesium. Seminibus fibrisque remotis pulpa siccatur et aut non tractata comeditur aut immiscetur lacti multibusve. Ex seminibus adiposis exprimendo paritur oleum, quod abundat *acido palmitinico* et est magnae stabilitatis oxydativae; si pulverissatum est, adhiberi potest ad sorbitones incrassandas. Semina etiam tosta comeduntur aut ad cibos conditios adhibentur. Praeterea folia adansoniae tamquam spinacea parata aut recentia comeduntur aut siccantur aut pulverissantur. 100 gramma folii adansoniae habent valorem energeticum 289kJ (69kcal) et continent cum cetera tum 3,8 gramma proteini et 50 milligramma *acidi ascorbinici*. In Nigeriā folia adansoniae appellantur *kuka*. Sorbitio his foliis cocta est cibus typicē nigerianus. Fructūs utiles etiam sunt ad potionēs fabricandas: Pulpa fermentari potest, ut oriatur potio cervesiae similis. In Sudaniā ex pulpā adansoniae aquā dilutā conficitur potio, quae appellatur *Tabaldi*. Praeterea haec arbor Africanis praebet materias, quibus fabriantur vestes, tectorum tegimenta, ornamenta collaria, restes, funes, retia, mattae, petasi, fercula, cistae, corbes, charta. Ad haec omnia fabricanda adhibentur fibrae libri interni, quae sunt durabiles atque robustae. Quae pariuntur arboribus decorticandis. Similiter ac *quercus suber* etiam adansoniae corticem ablatum possunt regenerare, quo liceat eandem arborem compluries decorticare. E radicibus conficitur pigmentum rubrum; pollen si cum aquā commiscetur, fit gluten. E cinere variarum partium arboris, quae contineant multum potassii, fabricatur *sapo*. Adansoniae, quae habent stipitem cavum, feruntur interdum adhiberi aut carceres aut latrinae; in Africā occidentali adansoniae cavae feruntur etiam adhiberi ad homines sepeliendos. At adansonia non adhibetur a saltuariis ratione oeconomicā, nam lignum eius leve elasticitatis causā asciis non tractatur nisi aegrē atque difficile necnon concisum celerrimē putrescit. - **Mythologia.** Cum adansonia sit aspectu mirabili, variae fabulae de eā narrantur mirabiles. Africani solent narrare diabolum olim adansoniam humo eripuisse et deinde inversam implantasse, ut radices nunc in aëra eminerent. Altera fabula fert hanc arborem modo natam voluisse pulchriorem fieri quam ceteras arbores omnes. Cum autem hoc eidem non contigisset, arborem caput suum humo infixisse (num pudore affecta est?), ut radices in caelum eminerent. Tertia



fabula adansoniana spectat ad mythologiam creationis mundi: Mundo ex oriente *hyaena*, cum foeditatem sui consiperet aquae superficie redditam, irâ incensa est vehementissimâ. Itaque adansoniam extirpatam proiecit versus caelum, ut creatorem sui percuteret, qui sibi tantopere malefecisset. At arbor projecta a scopo aberravit, ad terram recidit, ibique inversa mansit humo infixâ; inde ex illo tempore adansonia crescit radicibus sursum versis. Praeterea in variis fabulis mythisve africanis adansonia narratur esse sedes deorum spirituumque. In litteris Africae occidentalibus modernis adansonia est symbolum vitae Africanorum more tradito degendae necnon naturae intactae. Loci, quibus crescunt adansoniae quae sanctae appellantur, saepe considerantur symbola horti Eden biblii. Etiam in litteras Europae pueriles arbor adansoniae introducta est. Nam in fabellâ *Reguli* ab *Antonio de Saint-Exupéry* scriptâ (*Le Petit Prince*) persona principalis sollicitatur, ne adansoniae luxuriando asteroides suum obtegant radicibusque intricatissimis diffingant: „*Adansoniae incipiunt parvae esse antequam grandescunt*“.

- Etiam in modernis carminibus lyricis interdum adansonia est res tractanda, e.g. apud *Paulum Celan. Iohannes Magnus Enzensberger* cum adansoniâ comparavit rete neuronale.

O quam mirabilis multiplicatis est Africae arbor illustrissima!



**SYMBOLAM WIKIPEDIANAM
DE ARBORE ADANSONIA
SCRIPTAM
LATINE REDDIDIT
LEO LATINUS**

PRASINA RELIGIO SUBSIDIARIA EIUSQUE DECALOGUS



ECCE TRES CORYPHAEI FACTIONIS PRASINAE:
ROBERT HABECK, ANTON HOFREITER, ANNALENA BÄRBOCK

DECALOGUS PRASINORUM

- I. Carnem ne comedas!**
- II. Ne possideas autocinetum benzinarium neve dieselianum!**
- III. In stratâ autocineticâ ne velocius veharis centenis tricenis!**
- IV. Iter voluptarium ne facias aeroplano!**
- V. Ne aedifices domum propriam!**
- VI. Ne calefacias oleo et gaso!**
- VII. Locator habitaculi ne quid lucri accipias!**
- VIII. Loquere sermone genderismi!**
- IX. Vectigalia pende quam plurima!**
- X. Praeceptum gravissimum: Praedica aquam, vino te ingurgita!**

ECHUS VOCES ET EPISTULAE

VICTORIUS CIARROCCHI PISAURENSIS

Victorius Ciarrocchi, Italus Pisaurensis, Nicolao Gross, indefesso Latinitatis cultori ac propugnatori, s. p. d.

In Epistula Leonina numero 254 signata eas paginas peropportune adieci, docte Nicolae, Dialogum Meliorum Thucydideum referentes. Si enim totum Thucydidis opus, quod 'Historia belli Peloponnesiaci' inscribitur, iure meritoque 'possessio perennis' (L. I, 22, 4) aestimatur, dialogus ille dignus est qui - quotiens de rebus bellicis disputetur - semper frigido animo menteque pacata perpendatur. Cuius quidem dialogi praecipue capitulum 105 maximi est momenti, quoniam ipso continentur verba haec: «Hanc autem legem nos neque tulumus neque eâ primi usi sumus: sed iam receptam, a maioribus accepimus et usurpamus, perpetuam futuram posteris relicturi [eqs]». Praeterea haud pauci somniatores, quibus Caesaris sententia haec: «fere libenter homines id, quod volunt, credunt» ('Belli Gallici' L. III, 18, 6) aptari potest, diu multumque secum reputent oporteat eiusdem Thucydidis verba quoque haec: «Atque multae et graves calamitates inter seditionem civitatis acciderunt, quae quidem accidere solent, et semper accident, quoad eadem hominum natura erit, sed tamen potius et sedatores et genere diversae, prout singulae rerum fortunaeque mutationes incedant» (L. III, 82, 2). Iteranda igitur sunt: «quoad eadem hominum natura erit», quia quaerendum utrum hominum natura mutata sit necne. Quoniamque de "politologis" mentio facta est, breviter commemorare velim investigatorem quendam relationum inter Civitates exstantium. Qui vir (nomine Augustus Guerriero: 1893-1981) maxime in Italica ephemeride c. i. 'Epoca', ab anno 1950 usque ad mortem septimanatim varias gravioresque controversias internationales, quae dicuntur, acuto ingenio interpretatus est saepiusque eos legentes, quibus cordi erat ad earum rerum veritatem quam proxime accedere, hortari solebat ut Dialogum illum Thucydideum legerent atque aequo animo intellegerent. Gratias plurimas tibi ago, mi Nicolae. Optime valeas.

Nicolaus Victorio suo sal.pl.

Gratias maximas, care Victori, quod sententiam tuam de Dialogo Meliorum tulisti epistulâ prolixâ. Semper gaudeo de talibus epistulis, quia iisdem periodicum nostrum mirum in modum ditificatur. Reverâ Thucydides hoc dialogo animos legentium tenet correptos. Hôc quoque tempore drama Ucrainense spectantes sentimus opus Thucydidis reverâ esse possessionem perennem. Pancratice vale, mi care amice et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

JAN-PIET KNIJFF BATAVUS MONACENSIS

Nicolaus Iohanni Petro suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Iohannes, iam diu de te nihil legi nihilque audivi. Quid fit, quid agitur in schola Waldorfiana Monacensi? Habesne aliquid novi? Accepistine Epistulam Leoninam 254? Quid tibi videtur de allocutione Putiniana? Quid de sententiis Pauli Craig

Roberts, Rolandi Tichy, Sahrae Wagenknecht? Quid de Dialogo Meliorum Thucydideo? Putasne eius argumentum aliquatenus comparari posse cum rebus, quae nunc fiunt in Ucrainia? De his rebus (et de aliis quibuscumque) scribas mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Opiniones tuas semper libenter publici iuris faciam. Vale pancratice, mi care Iohannes, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

D.10.m.Mart. a.2022 h.10:09 scripsit Jan-Piet Knijff:

Risum moves mihi, Leo dignissime! Aliquatenus muneribus opprimor, nam multas scholas doceo et in schola Monacensi et in duabus scholis quae Theodisce *Volkshochschule* dicuntur atque mehercle etiam nonnullos discipulos privatos non Latine tantum sed etiam Anglice doceo. Accepi autem *Epistulam* tuam conaborque mox tibi rescribere ut, nisi ad omnia, sane ad quaedam tua respondeam interrogata. - Hic Monaci caelum serenissimumst, mox ver aderit. Adhuc stat mundus noster, mirabile dictu. Vale! Johannes Batavus

ANSGARIUS OSLOENSIS

Nicolaus Ansgario suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quid fit, quid agitur? Rectene vales? Care Ansgari, iamne accepisti Epistulam Leoninam 254? Quid tibi videtur de allocutione Putiniana? Quid de sententiis Pauli Craig Roberts, Rolandi Tichy, Sahrae Wagenknecht? Quid de Dialogo Meliorum Thucydideo? Putasne eius argumentum aliquatenus comparari posse cum rebus, quae nunc fiunt in Ucrainia? De his rebus (et de aliis quibuscumque) scribas mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Opiniones tuas semper libenter publici iuris faciam. Vale pancratice, mi care Ansgari, et perge mihi favere.

Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

Salvus sis, Nicolae! Epistulam leoninam accepi, quam non sine fructu, ut moris, perlegi. Quod ad bellum Ucrainum spectat, omnia pedetemptim et summa cum cautione nobis scrutanda sunt, quod plane fonte cognitionis fideli caremus. Quae in Occidentales degeneratos, et magis magisque extremarum partium sectatores, Putinus dixit, non longissime, ut fert mea opinio, a vero absunt. Quod Nato iam dudum in Europa orientali auctoritatem amplificare conatur, fere nemo in controversiam vocare vellet. Quae cum ita sint, bellum summa cum iniustitia in Ucrainia Russici excitant. Iam Putinus, ut patet, nullam rationem habendam imperii occidentalium decrescentis censem. Qua de causa Russici bellum conflaverint, omnino ignoro. Si autem Russici rem Ucraniam labefactare, et nationes Occidentales perturbare, moliantur, hoc certe facilius, subministrationem gasii terrigeni et petrolei minuendo, efficiant. Nam re vera, hoc bellum, nisi Boreoamericanis et Sinicis nemini utilitatem affert. Iam augetur annonae caritas, ut ad penuriam gradatim adducamur. Cum vero Occidentales rerum publicarum moderatoribus egeamus, qua ratione impendentem evitare tempestatem possimus, dei, ut puto, interrogandi sunt. Fac valeas! **Ansgarius**

PAULUS KANGISER IACOBOPOLITANUS

Nicolaus Paulo suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Care Paule, iamne accepisti Epistulam Leoninam 254? Quid tibi videtur de allocutione Putiniana? Quid de sententiis Pauli Craig Roberts, Polandi Tichy, Sahrae Wagenknecht? Quid de Dialogo Meliorum Thucydideo? Putasne eius argumentum aliquatenus comparari posse cum rebus, quae nunc fiunt in Ucrainia? De his rebus (et de aliis quibuscumque) scribas mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Opiniones tuas semper libenter publici iuris faciam. Vale pancratice, mi care Paule, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

Paulus Nicolao s.d.

Accepi EL 254, quam nondum perlegi, sed gravissimam et comminationibus plenam allocutionem Putinianam legi, quapropter plane consentio Sahrae Wagenknecht: Bella a mendacio initium capiunt. Doleo quod nationes occidentales Putinum timeant et Ucrainam paene derelinquant. Praeses Zelensky rogavit aerinaves quibus praesidio utetur sed nullas nondum accepit. Auxilium humanitarium valde necessarium est, sed non sufficit. Nisi Putinum nunc frenent, postea non poterunt. Haec omnia - quidem tristissima - in nostro mundo hodierno vix credi possunt. Vale semper.

URBANUS FERRARIUS BRASILIOPOLITANUS

d.9 m.Mart. a.2022 h.17:24

Nicolaus Urbano suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v. Care Urbane, iamne accepisti Epistulam Leoninam 254? Quid tibi videtur de allocutione Putiniana? Quomodo compatriotae tui Brasiliani cogitant de rebus quae fiunt in Ucrainia? Quid de sententiis Pauli Craig Roberts, Polandi Tichy, Sahrae Wagenknecht? Quid de Dialogo Meliorum Thucydideo? Putasne eius argumentum aliquatenus comparari posse cum rebus, quae nunc fiunt in Ucrainia? De his rebus (et de aliis quibuscumque) scribas mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Opiniones tuas semper libenter publici iuris faciam. Vale pancratice, mi care Urbane, et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus

Urbanus s.p.d. Leoni Latino. S.B.V.B.E.E.V.

Tantummodo heri et nudiustertius mihi Epistulae Leoninæ 254 legendæ potui vacare. Quare, Leo noster carissime, ignoscas, quæso, huic tam longæ respondendi moræ. Res, quæ hic dicuntur de impetu Russiæ in Ucraniam, puto non esse tam dissimiles ab illis, quas auditis in Europa. Hic, in Brasilia, mirabile est quam unanimus et concors sit sermo hac de re. Omnes televisificæ, omnes radiophonicæ stationes, omnes diurnariæ sedes, quasi cantilenam molestissimam, iterum iterumque eadem repetunt verba: «Zelenscum esse heroem, Putinum autem grassatorem»; aut: «Russiam esse delendam». Tanta tamque concors unanimitas non potest non incidere in aliquam suspicionem. Haud dubium est quin volunt vulgus in errorem inducere, ut iam induxerunt cum agebatur de quæstione illa covidiana.

Nolo tamen, neque possum, Putinum defendere. Quam defensionem afferam pro eo, qui incohatur impetum in populum innocentem? Ex altera autem parte neque Zelenscum mihi videtur esse fide dignum, qui defendit causam quam ignoror, et quam suspicor non esse veram populi sui causam.

Nihil autem magis mihi animum suspendit quam sanctiones, quae modo imponuntur Russiae. O quantam potestatem in tam paucorum manibus hominum! Hi pauci, data belli excusatione, totam Russiam ab internationali commercio excluderunt; Russicum pecunias, quae extra Russiam custodiebantur, retinuerunt; Russicasque argentarias a systemate SWIFT dicto prohibuerunt. Iidem illi pauci ad iniungendas tam duras sanctiones nunc bellum allegant, quod ipsi aliqua fortasse ratione lacesciverunt. Quapropter quæro: Habetne modum hæc sanciendi potestas? Poteruntne illi pauci, quotiescumque volent, quamlibet castigare civitatem pro suo ipsorum arbitratu? Meæ memini patriæ. Vide quam multæ sanctionis causæ, et omnes quidem falsæ, sint in promptu contra Brasiliam, ut, exempli gratia, «silva Amazonica igne ardens».

Sed Brasilia iam patitur magnum detrimentum propter sanctiones supra dictas. Petrolei dolium crevit, et secum extulit omnium fomitum pretium: benzini, ethanoli, gasolei (diesel) et ceterorum. Periculum est, ut autocinetis onerariis desit fomes. Quod si acciderit, merces non poterunt evehi per regiones et urbes nostras, et ideo deerunt in mercatibus. Quid nos manebit præter famem et rerum caritatem? Illi pauci, qui sibi detinent hanc inauditam potestatem, semperne poterunt et nostram et alias gentes lædere impune?

Præterea hæc magna et immoderata, ut ita dicam, violentia, et afficit, et affectura est privatos. Zelenscus, ut ad meas aures pervenit, illum dominum negotiationis, quæ dicitur Tesla, Elonem Muscum recens rogavit, ut electrica vehicula, quæ essent in Russia, continuo sisteret. «Si res ita se habet, vehiculum illud electricum, quod magno pretio emisti, tuum iam non erit». Neque tua erit pecunia illa, quam tibi forte in aliqua argentaria servasti. Si civitas absoluta poterit, quotiescumque sibi videatur, sistere autocinetum tuum, ipsa, quæ pecuniam digitalem edit, prohibebit te a sumptibus tuis. Quid fiet si recognitio facialis fallatur de te? Claususne manebis secus viam, intra vehiculum, sine pecunia, prohibitus a publico transportu? Num captivi vivemus sub libertatis specie?

Tertium universale bellum, meo iudicio, iam cœpit, sed alia administratur ratione quam temporibus præteritis. Olim bellum alterum gestum est bombardamentis; hodie vero sanctionibus universalibus, quæ tam funestæ sunt, ut gentes opprimant per totum terrarum orbem. Ex parte autem mea, Deum precor, ut potestatem illam paucorum frangat, donetque nobis prosperitatem et spem. Scripsi Brasiliopoli, Saturni die, IV Idus Martias, anno MMXXII. **Urbanus**

Leo Latinus Urbano Ferrario sal.pl.

Prolixam epistulam mihi scripsisti, care sodalis; quae mihi valdē placet propter argumentorum ubertatem et conclusionum prudentiam. Gratias plurimas! Quam libentissimē publicabo proximâ in Epistulâ Leoninâ. - Ea quae tu narras de

opinionum unilateralitate deque sanctionum duritiâ exaggeratâ necnon de commendatione propagandâ apud vos apparentibus tam similia sunt iis quae nos hîc in Germaniâ experimur, ut concludendum sit homines minus regi a gubernationibus nationalibus quam iam pridem subiectos esse regimini totius mundi. Idem regimen globalistarum mihi videtur dominari tam in rebus antirussicis quam in coronariis. Nisi istud regimen sublatum erit totum, mundus non fiet melior: vivimus enim non iam in democratiâ, sed in phobocratiâ, id est dominatio, quae fit timore hominibus iniciendo, sive timore pandemiae putativae sive Russorum, qui subito tractantur quasi sint castae intangibilium indicae participes, quae linguâ tamilicâ appellantur *Paraiyar* பறையர்). Qui timet, tacet et oboedit; hic est finis tyrannorum globalismi. Haec hactenus brevissimê, care Urbane, mox, si volueris, certê plura. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

d.13. m.Mart. a.2022 h.14:10 scripsit Urbano dos Santos Ferreira:

Salve, præclare Leo noster! Mihi gratissimum est quod scripta quæ dedi, tibi placuerint. Si fieri potest, antequam rem publici iuris facias, corrige interpunctionis mendum quod imprudenter reliqui. Ubi scripsi: «Si res ita se habet. Vehiculum illud electricum, quod magno pretio emisti, tuum iam non erit», sic emenda: «Si res ita se habet, vehiculum illud electricum, quod magno pretio emisti, tuum iam non erit». Vale semper. Urbanus

Leo Urbano s.

Bene, corrigam. Gratias, quod tam prompte responisti. Vale semper, Leo Latinus.

MARCUS CRISTINI BRIXIANUS

Il 09/03/2022 21:18, SPQR ha scritto:

Nicolaus Marco suo sal.pl.dic. s.v.b.e.e.v.

Quomodo te habes? Versarisne adhuc Tubingae nomina vicorum oppidorumque Alamannica eradicare ferventissime studens? Iamne accepisti Epistulam Leoninam 254? Quid tibi videtur de allocutione Putiniana? Quid de sententiis Pauli Craig Roberts, Polandi Tichy, Sahrae Wagenknecht? Quid de Dialogo Meliorum Thucydideo? Putasne eius argumentum aliquatenus comparari posse cum rebus, quae nunc fiunt in Ucrainia? De his rebus (et de aliis quibuscumque) scribas mihi, care amice, quidquid tibi in buccam venerit. Opiniones tuas semper libenter publici iuris faciam. Vale pancratice, mi care , et perge mihi favere. Medullitus te salutat **Nicolaus Leo Latinus**

Am 13.03.2022 um 21:56 schrieb Marco Cristini:

Marcus Nicolao suo s.p.d.

gratias tibi maximas ago, care sodalis, pro epistolio tuo electronico proque *Epistula Leonina* 254, quam grato animo accepi.

Adhuc Tubingae versor et caeli optima temperie fruor, ut interdum in silvis propinquis deambulem. Miror quam multae mali pirique super collibus crescant: in partibus Tubingensibus abundant non solum fructus ingenii favente universitate studiorum, sed etiam fructus arborum faventibus incolis impigerrimis, qui magna diligentia fundos, hortos et particulas quoque agri colunt.

Quod ad res hodiernas attinet, incredibile est bellum, monstrum horrendum informe ingens, Europam denuo cruciare populumque pacificum ob amorem libertatis impetum necopinatum pati. Usque ad mensem praeteritum putabam Vladimirum Putin strepitum armorum et Confoederationi Russicae adiectione rerum publicarum duarum, quae contra legem ab Ucrainia secesserant, contentum esse, sed longe erravi. Consilium Ucrainiae oppugnandae, mea quidem sententia, amens est ratione et morali et politica et militari. De ratione morali pauca scribam, cum omnibus pateat bellum adversum Ucrainiam iniustum esse. Ut dixit sanctus Augustinus, *remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia* (*De civitate Dei*, IV, 4)? Cum copias suas imperaret, ut impetum adversus populum sermone, moribus et religione cognatum causis fictis facerent, Putin ius gentium manifeste violavit et regimen Russicum fecit latrocinium. Quid enim interest inter latronem qui bona viri cuiusdam vi rapit et dictatorem qui regiones populi cuiusdam vi aufert? Ratione politica, incursio in Ucrainam facinus est vesanum, quod oeconomiam Russicam pedetemptim delebit, Cremlini adversarios (e.g. Alexium Naval'nyj) corroborabit et nationibus permultis suadebit, ut Russiae omnimodo obstent. Praeterea Russia magis magisque Sinae erit subiecta et quae sit societas cum Sina nemo est qui nesciat... Quod ad rem attinet militarem, Ucrainia est natio magna, quam vi occupare perdifficile est, ut historia utriusque Belli Mundani docet. Exercitus Ucrainicus machinamenta moderna, arma et tela permulta annis praeteritis a civitatibus hesperiis accepit, copiae autem Russicae tormentis Sovieticis saepe utuntur et proeliantur more saeculi vicesimi.

Quae cum ita sint, Putin in insaniam incidisse videtur, fortasse quia tempus panepidemiae plerumque solus in cubiculis Cremlinensibus degit animo consilia obscura volvens. Proh dolor, nemo est inter satellites eius consiliariosque qui conetur condicionem rerum veram societatisque hodiernae statum ei monstrare. Adulatores enim tyrannum libenter sequuntur, alii eum fugiunt. Arbitror haud paucos senatores, duces et ministros Russos bello hoc nefando adversari, in regimine autem tyrannico eorum opinones minimi habentur. Utinam Russia vera democratis facta esset post occasum Unionis Sovieticae! At spes minime est deponenda: ut docet Seneca, *iniqua numquam regna perpetuo manent* (*Medea*, 196). Cura, ut optime valeas

Nicolaus Marco sal.pl.

Summas gratias, sodalis carissime, pro hac disquisitione Vladimiri Imperatoris morum rerumque gestarum subtilissima, quae mihi aliquatenus redolere videtur palatum byzantium et lectionem Procopii Caesariensis. Quam statim inseram Echūs Vocibus Et Epistulis quam maturimē publicandis. Macte virtute esto, mi bone Marce. Tu ne cede malis sed contra audentior ito. Adversus pericula bellica atque viralia et

climatica solacio tibi sint Bonae Litterae necnon studia humaniora. Vale pancraticē et perge mihi favere. Medullitus te salutat Nicolaus Leo Latinus.

NAEVIUS SARTORIUS

D.13. m.Mart. a.2022 h.23:54 scripsit Leo Latinus

Nicolaus Naevio suo sal.pl. s.v.b.e.e.v.

Care Naevi, inspicias, quaeo, *Decalogum Prasinorum* (v. supra), et dicas mihi, quidquid tibi in buccam veniat haec pracepta legenti. Placentne tibi an displicant? Nonne Prasini optimē demonstrant etiam homines exili ingenio praeditos, minimē eruditos assequi posse summos in re publicā honores? Nonne tibi videntur Prasini eo optimē meritos esse, quod exemplo suo adhortantur omnes iuvenes ineptos et baceolos, ut complexūs inferioritatis expertes alacerrimē cursum honorum publicorum ingressi adipiscantur munera patriae omnium lucrosissima? En aspice *Claudiam* illam *Rubram* excetram Prasinorum ministram nunc cultūs civilis, quae quamvis prorsus stulta et indocta vix umquam aliquid boni aut utilis dixerit vel fecerit, tamen salario suo uberrimo gaudens superbiāque tumescens homines de bonis moribus docere et monere et vituperare numquam desinit. Aspice etiam *Annalenam Ursihircinam*, quae nihil umquam didicit nisi resultaculum insilire, sed nunc ministra rerum externarum coram toto orbe terrarum tam stupidē blaterat atque balbutit, ut patriam nostram inducat in miserrimam infamiam et irrisioem. Interdum suspicor omnes audientes pudere stultitiae ursihircinae - praeter Annalenam ipsam, quae omnis scrupuli expers tumet inanitate suā beluinā. Aspicienti atque audienti Claudiam et Annalenam mihi in mentem incidit *Erasti* Stultiitia personificata quae docet homines ex cathedrā... Reverā tota gubernatio nostra mihi videtur esse ΜΩΡΙΑΣ ΕΓΚΩΜΙΟΝ.

Quid tibi videtur, care amice? Si nescis utrum de politicis nostris debeas flere an ridere, suadeo tibi ut rideas; ridere enim flendo longē salubrius est. Utinam filius tuus mox reconvalescat. Narra ei aliqua facetē dicta, ut anima eius exhilaretur. Puto eius malum magis spectare ad animae quam ad corporis valetudinem. Tu et ille pancraticē valete. Tu ne cede mālis sed contra audentior ito. Medullitus te salutat **Nicolaus**.

D.14. m.Mart. a.2022 h.11:19 scripsit Naevius Sartorius:

Naevius Nicolao suo salutem dicit, gratias maximas tibi ago pro nuntio tuo electronico. Scis me tecum consentire de Prasinis et de Decalogo. In pseudo-philosophia Prasinorum nonnullae assumptiones sunt, quae mihi a profundis falsae esse videntur:

- prima: Homo solum bonus est.
- secunda: Homo dominus fati sui est – omnia regere potest.
- tertia: Habitus „rectus“ gravior est quam actio „recta“ (hanc differentiam rectissime demonstravit Max Weber: *Gesinnungsethik versus Verantwortungsethik*).

Eventus effectusque actorum Prasinorum nunc videmus et perferre debemus. Scisne liberum S. Uhl "Die Pädagogik der Grünen"? Filii valetudo nondum optima, sed nunc melior est. Utinam is convalescat mox omnino. Vale semper **Naevius**

Nicolaus Naevio s.

Summas gratias tibi ago, care Naevi, pro explicationibus tuis subtilissimis ad Prasinos spectantibus. - Nomen *Maximiliani Weberi* in memoriam mihi revocat opus *Arthaśastra* politologicum, quod sanscritē scripsit *Kautilya*; *Weber* cum hoc opus perlegisset, dixit esse similis argumenti ac illum *Principem Macchiavellii*; sed eundem cum *Kautilyā* comparatum esse tamquam puerum orphanum. Reverā *Kautilya* sine ullo scrupulo morali omnes vias ac rationes comprobat commendatque, quibus potestas rēgis vel principis confirmetur et augeatur. - Ceterum memini me apud *Weberum* saepius invenisse notionem perhorrescendi (*perhorreszieren*). Nonne haec notio sociologica quadrat ad odium erga Russos generaliter absurdissimum et iniustissimum nuperrimē demum exortum, quo nunc totus ferē orbis terrarum videtur immaniter correptus esse? (Quanta insania! Quasi omnes Russi ubicumque versantes culpam contrixerint impetū Putini in Ucrainam facti!) Iste furor falso nunc dicitur *russophobia*; nam non agitur de timore Russorum, sed de odio erga Russos (idem dicendum est de falso usu notionum *islamophobiae* et *homophobiae*; graecē φόβος non est *odium*, sed *timor*). Evidem malim dicere hunc furorem periculosum *antirussismum*; quid censes?

Ut generaliter nihil tam malum est, quin habeat aliquid tamen boni, sic habet etiam factio Prasinorum aliquid boni: Est nobis causae, ut sociologiam *Maximiliani Weberi* aliquatenus attingeremus idque leviter quidem, sed delectabiliter. Valdē gaudeo, quod filius tuus reconvalescit. Utinam mox valeat pancraticē! Oportet enim nostrā aetate vivant crescent florent iuvenes fortes et robusti, qui resistant furoribus coronae et climatis et genderismi et antirussismi etc., etc.... eheu, imminet nobis egestas varii generis, sed numquam deerunt nobis furores... Medullitus te salutat **Nicolaus**.

Naevius Nicolao suo salutem dicit.

denuo gratias magnas tibi ago. Recte dicis hunc novem furem solum **odium** erga Russos esse. Possumus videre rem malam, infelicem, inustam, sed rem in rebus generis humani gestis perennem. Culpam paucorum omni generi criminis dant. Acerarius* invenit nomen simile: "*Kontaktschuld*". Vale semper Naevius.

*i.e. Michael Klonovsky, qui edit ACTA DIURNA.

ECCE LIBRI LEONIS LATINI

Permittas, quaeso, ut nuntium adiungam minus gratum: pretia discorum, qui a Leone Latino praebentur vendendi, ex decennio (sic!) non exaucta - proh dolor – nunc valdē augenda sunt (denis euronibus). Interim enim cum pretia materiarum quoque multo exaucta sint, tum praecipuē disci libellique discis subiungendi non conficiuntur neque involvuntur nisi magno cum labore.

Restat, ut afferam titulos pretiaque librorum typis impressorum, qui hōc tempore apud Leonem Latinum prostant venales:

- | | |
|---|---------|
| 1) CRABATUS (Otfried Preußler, Krabat)..... | 49,00 € |
| 2) FRAGRANTIA (Patrick Süskind, Das Parfum)..... | 42,00 € |
| 3) RECITATOR (Bernhard Schlink, Der Vorleser)..... | 45,00 € |
| 4) HOTZENPLOTZIUS (Otfried Preußler, Der Räuber Hotzenplotz)..... | 25,00 € |
| 5) ARANEA NIGRA (Jeremias Gotthelf, Die schwarze Spinne)..... | 22,00 € |

PARVUS NICOLAUS (René Goscinny, Le Petit Nicolas) non éditur in domunculā Leonis Latini, sed in Aedibus Turicensibus, quae appellantur «Diogenes».

GLOSSARIUM FRAGRANTIAE et PERICULA BARONIS MYNCHUSANI – proh dolor! – sunt divendita. Utinam nobis contingat, ut aliquando edantur iteratis curis.

Habeas nos excusatos, quod situm interretiale (i.e. anglicē »website« nondum restauravimus novaque pretia ibidem nondum indicavimus.

Ceterum, cara Lectrix, care Lector, bene scias oportet Leonem Latinum non esse megalopolium, quo – ut ita dicam - rapidissimē eiectantur multae myriades librorum vilissimae, sed domunculam potius virtualem quam realem, in qua creantur κειμήλια, id est res parvae et rarae et caraē. Res parvae enim sunt disci compacti aut libelli typis editi palmares; rarae sunt editiones, quae centuriam tantum complectantur exemplorum; caraē sunt hae res omnes, quia cordi sunt Leoni Latino recordanti horas illas innumerās, quibus operam dedit illis creandis.

Cara Lectrix, care Lector, utinam omne opusculum a Leone Latino confectum sit Tibi KTHMA EIΣ AEI.

XXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXXX

INDEX DISCORUM LEONIS LATINI

NR	Num. manda- telae	ISBN	TITULUS	AUCTOR	TRANS- LATOR	ANNUS	FORMA	AMPLI- TUDO	PRE-TIUM
1	00104	978-3-938905-00-5	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
2	00104A	978-3-938905-15-9	FABELLA TEXTORIS VERSUTI PALAEOINDICA— Libri audibles	Anonymus (Old Indian)	Nikolaus Gross	2005	Audio	21 min.	€ 22,90
3	00204	978-3-938905-01-2	TRES FABULAE EDGARII ALLANI POE: CATTUS NIGER - RANUNCULUS - PUTEUS ET PENDULUM	Edgar Allan Poe	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	33 pp.	€ 27,50
4	00304	978-3-938905-02-9	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	6 pp.	€ 17,90
5	00304A	978-3-938905-16-6	ANECDOTA REI PROXIMO BELLO BORUSSICO FACTAE —Libri audibles	Heinrich von Kleist	Nikolaus Gross	2004	Audio	6 min.	€ 20,90
6	00404	978-3-938905-03-6	MEMENTO MORI	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
7	00404A	978-3-938905-17-3	MEMENTO MORI — Libri audibles	Alexander Saxon	Nikolaus Gross	2005	Audio	20 min.	€ 21,90
8	00504	978-3-938905-04-3	DE CRAMBAMBULO	Marie von Ebner-Eschenbach	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	14 pp.	€ 19,50
9	00604	978-3-938905-05-0	DE DINOSAURIS	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM pdf	16 pp.	€ 19,00
10	00704	978-3-938905-06-7	SUDATORIUM VENERIS	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	11 pp.	€ 19,50
11	00804	978-3-938905-07-4	PERICULUM FRANCISCI	Diogenes Anaedoeus	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,90
12	00904	978-3-938905-08-1	NUPTIAE ABDERITANAЕ	Bertolt Brecht	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	21 pp.	€ 22,00
13	01004	978-3-938905-09-8	TESTAMENTUM REYNERI BERLBYN	Henricus van den Lande de	-----	2004	CD-ROM pdf	7 pp.	€ 17,50

				Raelt					
14	01104	978-3-938905-10-4	DE SANCTO NICOLAO DEQUE VIRO NATALICIO	Nikolaus Gross	-----	2004	CD-ROM	21 pp.	€ 22,00
15	01204	978-3-938905-11-1	FABELLAE GRIMMIANAE 1	Jacob Grimm/Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2004	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
16	00105	978-3-938905-12-8	ROMULUS MAGNUS	Friedrich Dürrenmatt	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	49 pp.	€ 31,90
17	00205	978-3-938905-13-5	DE THILO CUSTODE FERRIVIAE	Gerhart Hauptmann	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	28 pp.	€ 24,90
18	00305	978-3-938905-14-2	HISTORIA AGATHONIS (LIB.1)	Christoph Martin Wieland	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	15 pp.	€ 19,50
19	00405	978-3-938905-19-7	WERTHER IUVENIS QUAE PASSUS SIT	Johann Wolfgang von Goethe	Nikolaus Gross	2005	CD-ROM pdf	82 pp.	€ 38,90
20	00505A	978-3-938905-22-7	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 1 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	40 min.	€ 21,90
21	00605A	978-3-938905-18-0	SOMNIUM SCIPIONIS A CICERONE SCRIPTUM – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2005	Audio	30 min.	€ 20,90
22	00705A	978-3-938905-23-4	CAESARIS BELLUM GALLICUM 1 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2005	Audio	55 min.	€ 22,90
23	00106	978-3-938905-21-0	AUTOBIOGRAPHIAE LATINAЕ	Nikolaus Gross	-----	2006	CD-ROM pdf	87 pp.	€ 48,00
24	00206	978-3-938905-20-3	DISQUISITIO CHEMICA ACIDULARUM BERGENSIUM ET GOEPPINGENSIMUM	Karl Friedrich Kielmeyer	Nikolaus Gross	2006	CD-ROM pdf	66 pp.	€ 38,00
25	00306A	978-3-938905-24-1	CAESARIS BELLUM GALLICUM 2 – Libri audibles	C.I. Caesar	-----	2006	Audio	61 min.	€ 22,90
26	00406A	978-3-938905-25-8	CICERONIS ORATIONES IN CATILINAM HABITAE 2 – Libri audibles	M.T. Cicero	-----	2006	Audio	41 min.	€ 21,90

27	0050 6A	978-3- 938905- 26-5	EPISTULAE A SENECA AD LUCILIUM SCRIPTAE 1 – Libri audibles	L.A. Seneca	----- ----- --	2006	Audio (2 CDs)	88 min.	€ 27,90
28	00107 A	978-3- 938905-27- 2	ASINUS AUREUS AB APULEIO SCRIPTUS	Apuleius	----- ----- --	2007	Audio	55 min.	€ 23,90
29	0020 7A	978-3- 938905-28- 9	OBSIDIO SAGUNTI A T.LIVIO DESCRIPTA	Livius	----- ----- --	2007	Audio	53 min.	€ 23,90
30	00307	978-3- 938905-29- 6	FABELLAE GRIMMIANAE II	Jacob Grimm/ Wilhelm Grimm	Nikolaus Gross	2007	CD- ROM pdf	58 pp.	€ 32,90



CARA LECTRIX, CARE LECTOR, BENE VALE,

USQUE AD SEPTIMANAM PROXIMAM !



HANC EPISTULAM LEONINAM

DUCENTESIMAM QUINQUAGESIMAM QUINTAM



SENDEN IN OPPIDULO BAVARIAE SUEBICAE PERFECIT

**Die Martis
15. m.Mart. a.2022**



**Dr. Nicolaus Groß
LEO LATINUS
Sodalis Academiae Latinitati Fovendae**